ENGELBERTUS ADMONTENSIS

14. Jh. Seite 1r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26059
Copyright: Admont, Benediktinerstift

1

Incipit prohemium in Tractatum de gracia salvacionis et iusticia dampnacionis hominum.

Capitulum primum. In quo proponitur questio et racio dubitacionis ipsius.
ii. Explanacio et exemplificacio proposite questionis.
iii. De primi hominis condicione et de iusticia originali.
iiii. De peccato originali et quare transfusum sit ab adam in omnes.
v. De pena dampni que debetur peccato originali.
vi. Quare et qualiter peccatum originale tollitur per fidem et Baptismum.
vii. Quare ignorancia non excuset eos qui fidem numquam audierunt.
viii. De duplici racione quare non sint excusati qui fidem non audierunt.
ix. Quod deum uni dare graciam et alii non dare non est iniquum apud deum.
x. De ordine quo procedit salvacio electorum et dampnacio reproborum.
xi. Confirmacio eius quod deus hunc salvando hunc vero condempnando non est iniustus.
xii. De preparacione mentis ad graciam et gracie ad gloriam.
xiii. Quod adam non peccante omnes homines fuissent salvati et eo peccante salvantur ex omnibus pauci.

Hic incipit prohemium in Tractatum de gracia salvacionis et iusticia dampnacionis Hominum.

Indica michi si nosti omnia in qua via habitet lux et tenebrarum quis locus est ut ducas unumquodque ad terminum suum. Job xxxviii. Quia ut dicit Glo. super illud ps. Quam bonus israel deus hiis qui recto sunt corde etc. perversis et ipse deus perversus esse videtur sicut demonibus qui in pulcherrima iusticia dei de sua dampnacione et humani generis salvacione scandalizantur etc. Hinc contingit et homines quosdam quasi admirando, quosdam vero quasi fere murmurando dubitare quare quidam hominum dampnentur quidam vero salventur, cum sic dicat Aug. super i° ps. In circuitu eius tabernaculum eius etc. Deus qui vult omnes homines salvos fieri ut dicitur i Tymoth. ii. eque faveat omnibus ad salutem. Cumque talibus dubitantibus et querentibus respondendo dicitur. Quod sola et vera fides christiana cum operibus subsequentibus est via perducens ad salutem iuxta illud Athanasii in symbolo. Hec est fides katholica quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit salvus esse non poterit etc. Et proinde quicumque ambulaverit in hac via fidei christiane in hac vita salvus erit. Qui vero hoc non fecerit in eternum peribit. Mox aliqui contenti hac responsione profundioribus dubitacionibus immerguntur querendo. Quid ergo de illis fiat et qua racione illi dampnentur qui fidem katholicam numquam audierunt nec de ipsa aliquid perceperunt. Solent eciam alii sepius dubitare. Cum inter illos qui fidem predicatam audierunt quidam non receperunt fidem quidam vero receperunt, quorum quidam in fide finaliter permanserunt, alii vero a fide discesserunt, quorum quidam in infidelitate finaliter perstiterunt sicut multi heretici et apostate fidei. Quidam vero ad fidem per penitenciam redierunt. Et iterum inter